


**COMPENDIUM PRECUM AD USUM
MEMBRUM ORDINIS CRUCIGERORUM
CUM RUBEA STELLA**



PRAGAE MCMXCVI

INDEX

I. PARS LATINA

Symbolum s. Athanasii	5
Oratio s. Gregorii ad D. N. Iesum Christum	7
Oratio s. P. n. Augustini	7
Memoria passionis D. N. I. C.	8
Oratio s. Bernardi	8
Pia exercitatio erga Christum crucifixum et quinque eius Vulnera	8
Oblatio ad patientem Dei Filium	10
Oratio coram imagine S. Sindonis D. N. I. C.	10
Litaniae lauretanae B. M. V.	10
Antiphona ad B. V. Mariam	12
Ad B. M. V. dolorosam	13
Hymnus de septem doloribus B. M. V.	13
Mysteria coronae septem dolorum B. M. V.	15
Planctus B. M. V. (Stabat Mater)	15
Oratio ad sanctum Angelum Custodem	17
Mysteria sacratissimi Rosarii B. M. V.	17
Quinque orationes pro animabus purgatorii	18
Oratio pro his, qui in coemeterio requiescent	19

II. PARS BOHEMICA

Novena k svaté Anežce České	20
Litanie k sv. Anežce	28
Hymnus o svaté Anežce	30
Modlitba k sv. Floriánu	31
POZNÁMKA	32

SYMBOLUM S. ATHANASII

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integrum inviolatumque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem catholica haec est: ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Imensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimus; ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus a Patre et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali et humana carne subsistens.

Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

Qui, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.

Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.

Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITUI SANCTO,
SICUT ERAT IN PRINCIPIO, ET NUNC, ET SEMPER,
ET IN SAECULA SAECULORUM. AMEN.

ORATIO S. GREGORII PAPAE AD D. N. IESUM CHRISTUM

Bone Iesu! Verbum Patris, splendor paternae gloriae, in quem desiderant angeli prospicere: doce me facere voluntatem tuam, ut a Spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies aeternus et unus omnium spiritus, ubi est certa securitas et secura aeternitas, aeterna tranquillitas et tranquilla felicitas, felix suavitas et suavis iucunditas, ubi tu, Deus, cum Patre et Spiritu Sancto, vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

ORATIO S. P. N. AUGUSTINI

Domine Iesu noverim te, noverim me.
Nec aliquid cupiam, nisi te.
Ut oderim me et amem te.
Quidquid amem propter te.
Humilem me, exaltem te.
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me et vivam in te.
Quaecumque eveniunt, accipiam a te.
Persequar me, sequar te.
Semperque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te.
Dignus sim defendi a te.
Timeam mihi, timeam te.
Simque de electis a te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Oboedire velim propter te.
In nullo afficiar, nisi in te.
Aspice me, ut diligam te.
Voca me ut videam te
et in aeternum potiar te.

Ergo amantissime Domine Iesu Christe, obsecro te per amorem illum perfectissimum, quo salutem nostram zelando, ubique tam fideliter quam ferventer eam quaeris, da mihi rectam, puram, simplicem ac Deiformem in singulis intentionem, ut in quibuscumque agendis et vivens et moriens non aliud quaeram aut intendam, quam pure gloriam et beneplacitum tuum. Haec da mihi, fidelissime Amator, ut te ex toto corde meo desideram, diligam et quaeram in tempore, in aeternitate, extincto per gratiam tuam penitus omni amore privato. Amen.

MEMORIA PASSIONIS D. N. IESU CHRISTI

ORATIO S. BERNARDI

O Iesu, Iesu mi, ad passionis tuae gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuae victoriosae Crucis regale vexillum in nomine tuo, Christe, adoro. Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguine clavos, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, Christe, supplex adoro et glorifico. Confige cruci tuae manus meas et pedes meos ac totum passioni tuae conforma servum tuum, Domine.

PIA EXERCITATIO ERGA CHRISTUM CRUCIFIXUM ET QUINQUE EIUS VULNERA

Oratio praeparatoria

En amantissime Iesu, qui Sponsus sanguinum mihi esse voluisti: ad pedes tuos prosternor, ut meum in te amorem, debitamque gratitudinem contester. Sed quid rependam tibi, mi Iesu, qui usque in finem dilexisti me? Manibusque ac pedibus, imo et cordi tuo inscripsisti me, magno sane et conspicuo charactere? Quis mihi hoc tribuat, ut sicut tu me, ita et ego te cordi meo inscriptum circumferam et sicut mei memoria tibi, sic tui mihi numquam excidat? O Iesu! Quam profuso me caritatis affectu complexus es, qui non tantum manus ac pedes, verum et opulentissimum pectus mihi aperire voluisti, ut inexhausta honorum coelestium affluentia desiderium meum expleas! Suscipe haec mea, quae colendis sacris tuis quinque Vulneribus, vota persolvo: aditum, spero, ad optatissimos hos vitae fontes misero non intercludes.

Oratio I. ad S. Vulnus pedis sinistri

Saluto benedictum Vulnus sinistri pedis tui, mi Iesu! Quod in spiritu reverenter exoscular, te ex animo rogans, ut huius tui sacratissimi Vulneris merito evellas pedes meos a laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei et a lapsu animam meam praeerves. Non veniat mihi pes superbiae, nec ambulem in mirabilibus super me, sed in animo contrito et spiritu humilitatis a te suscipiar.

Ad sacram hoc Vulnus tuum depono et offero omnem afflictionem meam, ut hanc cum Cruce et passione tua coniungas, gratiamque largiaris, qua omnes adversitates et miserias amore tui superem, tuaeque me semper voluntati conformem. Amen. Pater noster...

Oratio II. ad S. Vulnus pedis dextri

Saluto benedictum Vulnus dextri pedis tui, mi Iesu! Quod in spiritu reverenter exoscular, te ex animo rogans, ut huius tui sacratissimi

Vulneris merito dirigas pedes meos ad currendam viam mandatorum tuorum, ut transeam de virtute ad virtutem, donec videam te, Deum ac Dominum meum in Sion.

Ad sacram hoc Vulnus tuum depono et offero omnem fortunam ac felices successus meos, quos mihi divinae providentiae tuae dispositio clementer indulxit, ne illorum insolentia elatus animus te, summum Bonum meum, ad iram umquam provocet. Amen. Pater noster...

Oratio III. ad S. Vulnus manus sinistrae

Saluto benedictum Vulnus sinistrale manus tuae, mi Iesu! Quod in spiritu reverenter exoscular, te ex animo rogans, ut huius tui sacratissimi Vulneris merito miserearis fragilitatis et inconstantiae meae et in omni bono proposito me conformes: illum, tantumque insuper mihi amorem praestes, ut dicere queam: Laeva eius sub capite meo et dextera illius amplectabitur me.

Ad sacram hoc Vulnus tuum depono omnia peccata mea, quae aut ignorans aut sciens et volens umquam commisi. Tu mihi, Iesu, pretiosissimo tuo sanguine illa abluere digneris, ne coram iustissimo Tribunali tuo aeternae damnationis sententiam contra me exposcant. Amen. Pater noster...

Oratio IV. ad S. Vulnus manus dextrae

Saluto benedictum Vulnus dextrale manus tuae, mi Iesu! Quod in spiritu reverenter exoscular, te ex animo rogans, ut huius tui sacratissimi Vulneris merito uberem mihi gratiam et opem contra hostium meorum visibilium et invisibilium conatus largiaris et in novissimo die ad dexteram tuam statuas, ubi laetus audiam: Venite, benedicti.

Ad sacram hoc Vulnus tuum depono et offero tibi omnia bona opera mea (imo tua, quae tuae gratiae omnia, ut debo, adscribo) cum humiliama obsecratione, ut ea tuis sanctissimis operibus unita, aeterno Patri offerre, meamque inopiam tuis infinitis meritis supplere digneris. Amen. Pater noster...

Cratio V. ad S. Vulnus lateris Christi

Saluto te, o benedictum Vulnus lateris Iesu! Salve, o fons amoris, o thesaure inaestimabilis, o requies animae meae! Ausimne, benignissime Iesu, ad sacram hanc aram, ad hoc Sanctum Sanctorum accedere, ardensque amore cor tuum deosculari? Per infinitam bonitatem tuam oro te, mi Iesu, ne hoc solatio me privare, nec ab hac unica mei refugii domo arcere velis.

Eia anima mea, accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi Sponsi tui, hic te omnibus molestiis tuis ac curis, quibus opprimeris, exonerar! Hic desideria tua et cupiditates exple, hic in optatissima pace

conquiesce. Videor mihi, o Iesu, amore tuo duce, per amabilissimum sacri lateris tui Vulnus ad Cor tuum intromitti. Hic te cum profundissima humilitate, o Iesu, oro, ut ignoscas, quidquid umquam corde, ore aut opere in te peccavi. Hoc sacro Sanguinis tui balneo munda cor meum et benedicti cordis tui formam ac speciem imprime, tuique amoris igne accende, ne quidquam imposterum praeter te amem aut desiderem.

Ad sacerdissimum hoc Cordis tui Vulnus, mi Iesu, omnia cordis mei vota ac desideria pono. Ita oro, cor meum Cordi tuo adstringe, ut nullo umquam tempore ab invicem avellantur, ut vere cum Apostolo exclamem: Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an famae? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque ulla creatura poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro (Rom. 8). Amen. Pater noster...

OBLATIO AD PATIENTEM DEI FILIUM

Benignissime Iesu, quem pro nobis et propter nos caritas ardentissima erga nos cruci affixit, suscipe nunc omnium vulnerum tuorum dolores sanguineasque guttas; suscipe pientissimae Matris tuae compassionem et dolorem pro peccatis universi mundi. Suscipe etiam, quaeso, me indignissimum peccatorem, quem tibi offero in unione doloris Matris et unione caritatis tuae, et converte me in laudem et gloriam tuam iuxta summum atque supremum beneplacitum tuum. Amen.

Sequentem orationem coram imagine S. Sindonis D. N. Iesu Christi devote recitantibus concessit Clemens VIII. indulgentiam plenariam et liberationem animae ex purgatorio. Paulus vero V. confirmavit.

Deus, qui nobis in S. Sindone, qua Corpus tuum sacrosanctum de cruce depositum et a Ioseph involutum fuit, passionis tuae vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

LITANIAE LAURETANAЕ B. V. MARIAЕ

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater Ecclesiae,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater boni consilii,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum iustitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Ianua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium christianorum,
Regina angelorum,
Regina patriarcharum,

miserere nobis.
miserere nobis.
ora pro nobis.

Regina prophetarum,
Regina apostolorum,
Regina martyrum,
Regina confessorum,
Regina virginum,
Regina sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina in coelum assumpta,
Regina sacratissimi Rosarii,
Regina pacis,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. 3x
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Ave Maria...

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloria et benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repreaesenta.

Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,
ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus: Concede nos, famulos tuos, quae sumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitatis gaudere, et gloria beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfici laetitia. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Ora pro nobis, beatissime Ioseph,
ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus: Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quae sumus Domine, meritis adiuvemur, ut quod possilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ANTIPHONA AD B. V. MARIAM

cuius recitatio in Ordine nostro a saeculo traditur.

Stella coeli extirpavit,
quae lactavit Dominum,
mortis pestem, quam plantavit
primus parens hominum.
Ipsa Stella nunc dignetur
sidera compescere,

ora pro nobis.

quorum bella plebem caedunt
diro mortis ulcere.
O piissima Stella maris,
a peste succurre nobis.
Audi nos, Domina,
nam Filius tuus nihil negans te honorat.
Salva nos Iesu,
pro quibus Virgo Mater orat.
Ora pro nobis sancta Dei Genitrix,
ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus: Deus misericordiae, Deus pietatis, Deus indulgentiae, qui misertus es super afflictionem populi tui et dixisti angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam: ob amorem illius Stellae gloriosae, cuius ubera pretiosa contra venenum nostrorum dulciter suxisti, praesta auxilium gratiae tuae, ut ab omni peste et improvisa morte secure liberemur et a totius perditionis incursu misericorditer salvemur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM DOLOROSAM

HYMNUS DE SEPTEM DOLORIBUS B. V. MARIAE
ad meditationem seu ad recitationem infra orationem coronae septem dolorum B. M. V. usurpandus.

I. Septem tuos dolores,
Maria, dum considero,
tecum pati labores,
tecum mori desidero.
Annae gemit senectus
et Simeon affligitur
doloris ense pectus
quando tibi transfigitur.

II. Fugis Maria, prolis
onusta caro pondere
et luminare solis
de nocte vis abscondere.

Aegyptus est asyli
locus, tuis amoribus
iuxta fluenta Nili
liquescis in doloribus.

- III. In Patris esse rebus
cum nesciebas Filium,
visa es tribus diebus
pallere sicut lilium.
Clamans per angiportus
„Fili!“ replebas aethera,
dictura plus, obortus
dolor premebat caetera.
- IV. En, fert trabale lignum,
flagisque Iesus icitur,
o Mater, ecce signum,
cui porro contradicitur.
Eheu! Crucem ferenti
corpus pluit cruoribus,
et cor tibi, parenti,
submergitur doloribus.
- V. Calvaria est amoris
et est doloris vinea,
sunt praela vinitoris
clavi et corona spinea.
Dum fixus est Iesus,
crucisque calcar torculum,
amor dolore laesus
premit Mariae corculum.
- VI. Maria, quando petra
sensu doloris scinditur,
diesque nocte tetra
luget, tibi cor finditur.
Deposta membra ligno,
sed membra cassa lumine,
foves sinu benigno,
lavas doloris flumine.
- VII. Cum Filio sepulto
lapis sepulchro advolvitur,
tibi, Maria, multo
dolore vita solvitur.

Sedens ad antra tumbae,
moesto susurro murmuris
instar gemis columbae
et plangis instar turturis.

COMMENDATIO

O Mater, ut dolorum
per hanc amaritudinem
coelestium bonorum
degustem suavitudinem.
Tecum pati labores,
tecum mori desidero,
septem tuos dolores
dum plango, dum considero.

MYSTERIA CORONAE SEPTEM DOLORUM B. V. MARIAE

In primis tribus salutationibus angelicis:
..., quem cum dolore deflevisti.

In singulis mysteriis:

- I. quem cum dolore e manibus Simeonis accepisti.
- II. quem cum dolore in Aegyptum portasti.
- III. quem cum dolore tribus diebus quesivisti.
- IV. cui, gravi cruce onusto, obvia es.
- V. quem in cruce morientem vidisti.
- VI. quem cum dolore tuo gremio excepsisti.
- VII. quem cum dolore ad sepulchrum comitata es.

In fine singulorum mysteriorum loco „Gloria Patri...“ dicitur:
Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
cordi meo valide.

Oratio „Sub tuum praesidium...“ ut supra (post litaniis B. M. V.)

PLANCTUS BEATAE MARIAE VIRGINIS

Stabat Mater dolorosa,
iuxta crucem lacrymosa,
dum pendebat Filius.

Cuius animam gementem,
contristatam et dolentem
pertransivit gladius.

O Quam tristis et afflita
fuit illa benedicta
Mater unigeniti.

Quae maerebat et dolebat
pia mater, dum videbat
nati poenas incliti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
in tanto suppicio?

Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari
dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis
vidit Iesum in tormentis
et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem natum
moriendo desolatum,
dum emisit spiritum.

Eia Mater, fons amoris,
me sentire vim doloris
fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum
in amando Christum Deum,
ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
cordi meo valide.

Tui nati vulnerati,
tam dignati pro me pati,
poenas mecum divide.

Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolere
donec ego vixero.

Iuxta crucem tecum stare
et me tibi sociare
in planctu desidero.

Virgo virginum praeclara,
mihi iam non sis amara,
fac me tecum plangere.

Fac, ut portem Christi mortem,
passionis fac consortem
et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
fac me cruce inebriari
et cruento Filii.

Inflammatus et accensus
per te, Virgo, sim defensus
in die iudicii.

Fac me cruce custodiri,
morte Christi praemuniri,
conferri gratia.

Quando corpus morietur,
fac, ut animae donetur
paradisi gloria. Amen.

ORATIO AD SANCTUM ANGELUM CUSTODEM

Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna
hodie et cottidie illumina, custodi, rege et guberna, et doce me exemplo
tuo omne id, quod Deus vult, integre semper ac promptissime implere,
atque cum aequali gaudio plene resignatum vivere in omnem
voluntatem Dei nostri. Amen.

MYSTERIA SACRATISSIMI ROSARII B. M. V.

In rosario gaudioso:

1. qui nobis augeat fidem rectam
2. qui nobis augeat spem firmam
3. qui nobis augeat caritatem perfectam

- I. quem Virgo concepisti
- II. quem visitando Elisabeth portasti
- III. quem Virgo genuisti
- IV. quem in templo praesentasti
- V. quem in templo invenisti

In rosario doloroso:

1. qui nobis intellectum illuminet
2. qui nobis voluntatem perficiat
3. qui nobis memoriam roboret

- I. qui pro nobis sanguinem sudavit
- II. qui pro nobis flagellatus est
- III. qui pro nobis spinis coronatus est
- IV. qui pro nobis crucem baiulavit
- V. qui pro nobis crucifixus est

In rosario glorioso:

1. qui nobis dirigat cogitationes
2. qui nobis regat verba
3. qui nobis gubernet opera

- I. qui resurrexit a mortuis
- II. qui coelos ascendit
- III. qui Spiritum Sanctum misit
- IV. qui te in coelos assumpsit
- V. qui te in coelis coronavit

Post versum „Gloria Patri...“, qui in fine uniuscuiusque mysterii dicendus est, addi potest sequens acclamatio:

Domine Iesu, dimitte nobis debita nostra, salva nos ab igne inferiori, perduc in coelum omnes animas, praesertim eas, quae misericordiae tuae maxime indigent.

QUINQUE ORATIONES PRO ANIMABUS PURGATORII

I.

O Domine Iesu! Rogo te per pretiosissimum sanguinem, quem sudans in horto effudisti: Libera animas fidelium defunctorum e poenis purgatorii, maxime vero animam desertissimam. Perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster... Ave Maria...

II.

O Domine Iesu! Rogo te per pretiosissimum sanguinem, quem effudisti in flagellatione dirissima: Libera animas fidelium defunctorum e poenis purgatorii, maxime vero animam liberationi proximam. Perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster... Ave Maria...

III.

O Domine Iesu! Rogo te per pretiosissimum sanguinem, quem effudisti in spinea coronatione tua: Libera animas fidelium defunctorum e poenis purgatorii, maxime vero animam diutissime cruciandam. Perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster... Ave Maria...

IV.

O Domine Iesu! Rogo te per pretiosissimum sanguinem, quem effudisti in dira crucifixione tua: Libera animas fidelium defunctorum e poenis purgatorii, maxime vero animam meritis praecedentem. Perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster... Ave Maria...

V.

O Domine Iesu! Rogo te per pretiosissimum sanguinem, quem effudisti e latere tuo benedicto: Libera animas fidelium defunctorum e poenis purgatorii, maxime vero animam Matri tuae cariorem. Perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster... Ave Maria...

ORATIO PRO HIS, QUI IN COEMETERIO REQUIESCUNT

Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescant, famulis famulabusque tuis et omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitiis veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace. Amen.

NOVENA K SVATÉ ANEŽCE ČESKÉ

Přípravná modlitba každodenní

Svatá Anežko Přemyslovna, patronko národa našeho a mocná ochránkyně české vlasti, my, lid tvůj, hlásíme se k tobě, kněžně krve své, jež požíváš slávy věčné. Tys zde na zemi milovala Boha nad všecko, tys milovala bližní pro Boha, takže světlo příkladu tvého zazářilo světu. Víme, že láska světců neumírá, že láska ta, odlesk lásky Boží, může se utajit, ne však vychladnout. Hle, děti národa tvého, na jehož blahu ti vždy tak záleželo, pro nějž stala ses dobrovolnou obětí, buší prosbami na bránu srdce tvého: Ukaž nám lásku svou! Rozpomeň se na lid svůj a buď nám pomocnicí v dobách zlých a nebezpečných, kdy nevěra se šíří, mravnost klesá, rodiny jsou rozvráceny, děti opouštěny a sváděny, modlárství mamonu zachvacuje lid a láska k vlasti a národu v srdečích utuchá. A ke všemu tomu zlo nejhorší ohrožuje národ tvůj: nedostatek dobrého, horlivého, apoštolského kněžstva.

Těšitelko naše, orodus u Hospodina národů za lid svůj! Slyš jeho žaloby a stesky, ozvi se a potěš věrné své! Kdysi Svatý Otec o pomoc tě žádal, když Církev v Čechách byla v tísni, domácí knížata v rozbrojích se dovolávala tvé moudrosti, trpící a chudý lid vyhledával tvou dobrotu. I my dnes v úzkostech svých se k tobě utíkáme. Odprošujeme tě za všechn nevděk, za všechnu nevěrnost k tobě a svatým patronům našim, neboť na cestě této nevěrnosti i Bohu i sobě jsme se ztratili, nebo aspoň odcizili. Usmiřuj Pána Boha, jehož jsme rozhněvali svou nevěrou, bludařstvím a roucháním. Připomeň Ježíši, Ženichu svému, vlastní věrnost svou, připomeň mu lásku svou k tomu lidu ubohému.

Příbuzná svatého Václava, hvězdo ctihonrého rodu svého, neoslyš volání svých dětí, jež se znova k svatému knížeti svému hlásí a po tvém větším oslavení ze srdce touží. Zabraň hrozící záhubě národa svého, přived jej zpět do náručí Otce, u něhož v nebi blažena dlíš. A on dá znova zazářiti slávě tvé, aby lid po záři této obrátil oči své k věcem nebeským, jako za časů tvých jimi se obíral.

Promluv, dobrotivá Matko, k lidu svému, vystup z úkrytu svého, vztáhni ruku svou ochrannou a žehnající k nám a vzdal od nás nebezpečí záhuby časné i věčné. Vyslyš naše prosby, které ti zvláště po dobu této noveny s důvěrou přednášíme: ...

Zvláště pak nedopusť, aby Pán Bůh, spravedlivě rozhněvaný, trestal národ náš nedostatkem nejhorším: nedostatkem kněží, řeholníků a řeholnic, smírných to oběti za hříchy lidu. Svatá Anežko, chraň nás zlého! Amen.

PRVNÍ DEN

V. Pro pravdu a tichost a spravedlnost: a povede tě podivně pravice tvá.
R. Sličností svou a krásou svou počni, šťastně pokračuj a kraluj

(Žalm 44, 5)

Úvaha

Svatá Anežka, dcera krále českého Přemysla Otakara I., narozená dne 20. ledna 1208, byla pokřtěna biskupem Danielem. Tříletá byla dána na výchovu k tetě své, sv. Hedvice, kněžně slezské, jejímuž synu ji rodiče zasnoubili. S tetou – světicí – navštěvovala pilně chrám Páně, sloužila chudým a nemocným. Příklad svaté tety ji provždy nadchl ke skutkům tělesného milosrdenství.

Modlitba

Ježíši – Dítě – jenž jsi svatou Anežku křtem svatým do Církve své uvésti rácil, prosíme tě pro její svaté dětství, dej našim kněžím mnoho čistých radostí v jejich povolání, aby se nermoutili nad počtem dětí nekřtěných, ale aby všecky české děti do Církve tvé křtem svatým přijímalí, aby chrámy Boží viděli naplněny lidem zbožným a byli svědky toho, jak láska křesťanská a všecky ostatní ctnosti v duších jim svěřených rozkvětají. Bože, dej radost kněžstvu našemu, aby dobrotu tvou povzbuzeno, konalo svůj úřad s ochotnou radostí.

